



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sapientissima Dei Mvndvm Regentis Gvbernatio; Ex qua
pendent, quæ vulgò in Casv, Fortvna, Fato, Esse Pvtantvr**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1645

§. 7. Alaricus Gothorum Dux, & Semei non sine diuina voluntate, ille
Romanis, iste Daudi aduersus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52314](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52314)

Senec.
lib. 1.
epist.
74.

uersus hos casus muniendi sumus, ait Seneca. Nullus enim, contra fortunam, inexpugnabilis murus est. Intus instruamur. Si illa pars tuta est, pulsari homo potest, capi non potest. Quod sit hoc instrumentum, scire desideras? Nihil indignetur, sibi accidere, sciâtq; illa ipsa, quibus laedi videtur, ad conseruationem vniuersi pertinere, & ex his esse, quæ cursum mundi officiûmq; consummant. Placeat homini, quidquid Deo placuit: ob hoc seipsum suaque miretur, quòd non potest vinci, quòd mala ipsa sub se tenet, quòd ratione, qua valentius nihil est, casum dolorémq; & iniuriam subigit. Amara rationem: huius te amor, contra durissima armabit. Ratio igitur potissima est, cogitare, casum tibi à sapientissima Dei bonitate missum esse; qui, per talia, Mundum iustissime moderatur.

§. VII.

Alaricus Gottorum Dux, & Semei, non sine diuina voluntate: ille Romanis, iste Davidi aduersus.

Sozom.
hist. Ec-
cles. lib.
9. c. 6. &
Socrat.
lib. 7 c. 10

Neque enim permittit tantùm hæc, sed etiam immittit Deus, cuius testis est vel Alaricus Gottorum Dux, qui, Stilicone interemto, quia petitâ ab Honorio Imperatore pacem, non impetrauit, statuit, in festo exerci-

exercitu Romam obsidere. Ibi milite copioso ad Tiberim collocato, ne in vrbe necessaria inferrentur, adeò indefinenter obsidionem protraxit, vt fame primùm, postea etiam peste populus, in vrbe, vehementer laceraretur. Quod cum fieret, Monachus quidam Italus, Probus nomine, Romam contendit, atque Alaricum etiam atque etiam adhortatus est, ne tantorum malorum author esse vellet, sed vrbi parceret, extrema iam passæ. Respondit Monacho Alaricus, se sanguine non delectari, & sanè sibi lubidinem non esse, tot mala Romanis inferendi; *sed vrgerise à quodam continuè, qui sibi præcipiat, vt Romam vastet, quod & tandem fecit.* Præceptum illud diuinum fuisse, non dubitant authores: & adstipulantur diuinæ quoq; litteræ, è quibus, alio loco, docebimus, à Domino exercituum bella prouenire. Quod si ergo, Alarico teste, Deus nonnullis præcipit, vt alios persequantur, quid succensimus obedientibus Deo præcipienti? Fugienti David Semei maledixerat. Abisai igitur regē defensurus & maledico caput amputaturus erat, quem David his verbis inhibuit: *Quid mihi & vobis est, filij Saruie? Dimittite eum, vt maledicat: Dominus enim præcepit*

2. Reg.
16. 10.

cepit ei, ut malediceret David: & quis est, qui audeat dicere: quare sic fecerit? Nimirum non examinanda est caussa, si constat de auctore Deo, qui pro omni caussa nobis esse debet; cum sit suprema rerum caussa. Hac ergo Numinis voluntate, ô quisquis aduersa pateris,

Horat. 2.
car. 0. 2.

*Aquam memento, rebus in omnibus,
Seruare mentem.*

§. VIII.

S. Lupus Episcopus Attilum, ut flagellum Dei reuerens, dum patienter acceptat, euitat; noua arte superandi hostes.

Psal. 37.
Ex Petr.
in Catal.
lib. 6. c. 1.
& alijs
Baron.
An. 451.

Hoc remedio ad patientiam instructus & in flagella paratus fuit, eaque ipsa tanta animi præparatione flagellum à se suisque auertit S. Lupus Episcopus Trecentis. Attilæ Hunnorum Principi, eò cum exercitu venienti, sanctissimus Antistes habitu Pontificali indutus, cum tota Cleri multitudine, obuiam processit, & data, acceptaque salute, Attilam interrogauit, Quisnam esset, qui tot regibus deuictis, tot populis prostratis, tot euersis urbibus, tot nationibus superatis, cuncta in sua poneret potestate? Cui Attila: Ego, inquit, sum rex Hunnorum Attila: **FLAGELLVM DEI.** Ad quæ Lupus:

Et